



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

Forma benedicendi annulu[m] coniugale[m].

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39761**

bunt. Offertorij tempore ordine cum amicis, vt pro more offerant, ad altare procedent.

**III.** Missa legitur de S. Trinitate ordine, & ritu quem Missale continet, cum orationibus de festo, aut Dominica. In eo minister signum pacis osculandum primum sponso, inde sponsæ & cæteris amicis præsentibus exhibebit.

**IV.** Absoluto sacro & priore Missæ benedictione populo impertita ante Lectionem Euangelij sancti Joannis ad altare coniungendi se sistant.

**V.** Vbi sacerdos ad desponsatos conuersus primùm si sponsalibus non interfuit, interrogabit sigillatim sponsum, & sponsam num libera voluntate, à nemine coacti, & cum nullo desponsati præstò sint, vt matrimonium ineant? hoc modò:

**R.** Ihr erscheinet hie freywillig / vnd ungezwungen / auch mit keiner andern in die Ehe versprochen / der Meynung den heiligen Ehestandt anzufangen / vnd durch den Segen der heiliger Kirchen vnd öffentlich Zeugnuß ewer anwesenden Freundt bestetigen zu lassen?

**VI.** Illis annuentibus literas Dimissoriales, si ijs opus sit, & antea exhibitæ non fuerint, exiget, leget & examinabit. Deinde anulum sibi porrigi iubeat, eumque, si antea benedictus non sit, in modum sequentem versa ad altare facie benedicat.

**FORMA BENEDICENDI  
annulum coniugalem.**

**Sacerd.** Adiutoriũ nostrũ in nomine Domini.

**Resp.** Qui fecit cœlum & terram.

**Psal. 67.**



Psalm. 67.

**M**anda Deus virtuti tuæ, confirma hoc  
Deus quod operatus es in nobis.

**A** templo tuo in Hierusalem tibi offerent Re-  
ges munera.

**I**ncrepa feras arundinis, cōgregatio taurorum  
in vaccis populorum; vt excludant eos, qui  
probatī sunt argento.

**G**loria Patri, &c. Sicut erat, &c. Amen.

Oremus.

**B**enedic ✠ Domine annulum hunc quem  
nos in tuo nomine benedicimus, vt, quæ  
eum portauerit, in tua pace consistat, & in tua  
voluntate permaneat, & in amore tuo viuat,  
crescat, & senescat, & multiplicetur in longi-  
tudinem dierum, per Christum Dominum  
nostrum, Amen.

Oremus.

**C**reator & conseruator humani generis, da-  
tor gratiæ spiritualis, largitor salutis æter-  
næ, tu Domine dignare emittere bene ✠ di-  
ctiōnem tuam super hunc annulum, vt, quæ  
istum gestauerit, sit armata virtute cœlestis de-  
fensionis, & proficiat illi ad vitam æternam,  
per Christum Dominum nostrum, Amen.

**A**spergat deinde annulum aqua benedicta, & conuer-

Y 3

sus tra-



fus tradat eum in manus sponsi, & eum digito sponsæ annulari, vel alteri pro loci conditione inserat dicens:

**A**ccipe annulum fidei conjugalis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt eum gestans sis armata virtute cœlesti, tibi que ad salutem æternam proficiat.

1. **H**ic oportune interponi poterit breuis instructio de Matrimonij institutione, natura effectis, tū exhortatio ad deuotè illud ineundum, piè decenterq; in eo viuendum, & ad finē vsq; vitæ in omni honestate, fideq; conjugali perseuerandum. ad hæc vero à Deo obtinenda cum diuina gratia sit necessaria, monebit præsentēs, vt patrem cœlestem ardentè inuocent precando orationem Dominicam & salutationem Angelicam, & inde ad benedictionem desponsorum procedet.

*C. l. Eccl. Vir  
aut de se  
cundis nupt.*

*D. Thom. in  
4. dist. 42.*

**O**bseruabit hic minister Sacramenti quod etiam supra not. 6. de matrim. dictum fuit, benedictiones infra scriptas non esse impertiendas alijs nuptijs, quam primis. Secundæ nuptiæ secundum canonicas sanctiones benedicendæ nõ sunt sub poena in iure expressa. Intelliguntur autem quæ ex parte sponsi & sponsæ simul, vel ex parte sponsæ tantum sunt tales. Nam quæ ex parte sponsæ primæ sunt, et si quoad virum sint secundæ ex recepta consuetudine benedici solent.

**BENE-**